



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

LXI. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium
retorquendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

REGULA LXI.

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

Quæres. Quis hujus Regulæ sensus ?

R. Quod alicui velut favor, gratia, & beneficium conceditur, non est sinistra eò trahendum interpretatione, ut in onus, incommodum cedat & detrimentum. Ratio est: quia datum ad unum effectum, in contrarium retorqueri non debet: quod fieret, si gratiam & favorem in onus & odium cedere permitteretur.

Exempla sunt: 1^{mo}. Antiquitus annus novitiatus tam in favorem Novitii quam monasterii fuit indultus: ideòque si quis de consensu Capituli in ordine non mendicantium ante novitiatus complementum professionem emittebat, valida erat professio, ne illud, quod à Jure in favorem erat introdu-

ctum, cederet in gravamen. *Cap. ad Apostolicam. 16. de Regular.* Modò completus Novitiatus annus ad substantiam pertinet professionis, ut ex universali liquet Tridentini Sanctione. 2^{do}. In *Can. charitatem. 45. caus. 12. q. 2.* statuitur, quod datus Ecclesiæ Oeconomus pro inventarii confectione nihil sibi tollere vel reservare debeat, ne favore Ecclesiæ introducta eidem damnosa sit inventarii confectio. 3^{tio}. Minor ætate in Spiritualibus pro majore habetur. *Cap. fin. de judic. in 6.* attamen si in beneficii renuntiatione minorem lædè contingat, ex beneficio ætate minoribus competente restitutionem in integrum petere potest, ne Juris ille favor, quod in Spiritualibus pro majore habeatur, in gravamen detorqueatur.

REGULA LXII.

Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

Quæres primò. Quis hujus Regulæ sensus ?

R. D. Schnorrenberg. in Reg. Jur.

R. Qui bonâ fide consilium dedit, nec reparare damnum, nec sufferre debet

X bet